

[1] At in aliquod genus vītae difficile incidistī et tibi īgnōrantī vel pūblica fortūna vel prīvāta laqueum impēgit, quem nec solvere possīs nec rumpere. Cōgitā compeditōs prīmō aegrē ferre onera et impedīmenta crūrū; deinde, ubi nōn indīgnārī illa, sed patī prōposuērunt, necessitās fortiter ferre docet, cōnsuētūdō facile. Inveniēs in quōlibet genere vītae oblectāmenta et remissionēs et voluptātēs, sī volueris mala putāre levia potius quam invidiōsa facere.

[2] Nūllō melius nōmine dē nōbīs nātūra meruit, quae, cum scīret quibus aerumnīs nāscerēmur, calamitātum mollimentum cōnsuētūdinem invēnit, cito in familiāritātem gravissima addūcēs. Nēmō dūrāret, sī rērum adversārū eandem vim assiduitās habēret quam prīmus ictus.

[3] Omnēs cum fortūnā cōpulātī sumus: aliōrum aurea catēna est, laxa, aliōrum arta et sordida, sed quid refert? Eadem cūstōdiā ūniversōs circumdedit alligātique sunt etiam quī alligāvērunt, nisi forte tū leviōrem in sinistrā catēnam putās. Alium honōrēs, alium opēs vinciunt; quōsdam nōbilitās, quōsdam humilitās premit; quibusdam aliēna suprā caput imperia sunt, quibusdam sua; quōsdam exsilia ūnō locō tenent, quōsdam sacerdotia. Omnis vīta servitium est.

[4] Assuēscendum est itaque condiciōnī suae et quam minimum dē illā querendum et, quicquid habet circā sē commodī, appendendum: nihil tam acerbum est, in quō nōn aequus animus sōlācium inveniāt. Exiguae saepe āreae in multōs ūsūs discrībentis arte patuērunt, et quamvīs angustum pedem dispositiō fēcit habitābilem. Adhibē ratiōnem difficultātibus: possunt et dūra mollīrī et angusta laxārī et gravia scītē ferentēs minus premere.